DE MUTATIONIBUS
ORGANISMI MULIEBRIS,
QUAE PRAETER ORGANA SEXUALIA GRAVIDITATE EFFICIUNTUR.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI TRIBUANTUR

DIE XXIX. M. JANUARII A. MDCCCL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

K. ANTONIUS RYMARKIEWICZ

POSNANIENSIS.

ADVERSARIIS:

F. ANTONIEWICZ, med. et chir. Dr.

J. CHEŁMICKI, med. et chir. Dd.

M. MOCZYŃSKI, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

V. ET E. LALEWICZ,

NEC NON

C. ET J. OTOCKI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

„Varium et mutabile semper femina."
Virg. (Aen. lib. IV.)

Quaestiones permultae in omnibus litterarum medicarum partibus inveniuntur, quae nondum satis sunt explicatae et expolitae, nedum dijudicatae. Atque his quaestionibus sine dubio ea est adnumeranda, quae agitur de mutationibus organismi muliebris extra organa sexualia graviditate effectis. Maximi vero momenti mutationes organorum sexualium in graviditate mihi esse videntur ea de causa, quod illae mutationes fere semper eaedem sunt et quidem primariae, secundariae contra illae, quas in aliis corporis organis inter graviditatem observamus. Non raro enim mulieres videmus, in quibus, si externa tantum signa graviditatis respicimus, signa illa aut omnino desiderantur, aut si adsunt, statum quendam morbosum significare possunt, qui cum graviditate nullum habet nexum, ita ut exploratione sola organorum sexualium et inter haec imprimis uteri, de graviditate certiores fieri possimus; quamvis negari non potest, externis quoque ex phaenomenis,

quae sunt nausea, vomitus aliaque hujusmodi symptomata, graviditatem nos saepe cognoscere. Quae cum ita sint, admirari non debemus, quod omissis organorum sexualium mutationibus graviditate provocatis, difficile omnino esse videtur dirimere, unde scribendi initium fiat, quum materia quaestionis omni ex parte ejusdem ponderis sit.

Medicos et physiologos de commutationibus modo commemoratis nunquam consensisse, jamjam eo elucet, quod ad hunc usque diem diagnosis graviditatis non est stabilita. Sed res ita secum fert, cum nemo graviditatem morbum esse ducat. Immo vero mutationes graviditate procreatae intra fines sanitatis locum obtinent, et quidem jure meritoque, cum in universum mutationes, quas in organismo muliebri videmus, fluxus menstrui analogon quoddam exhibeant mutationum intra graviditatem. Si tempore menstruationis et graviditatis symptomata solita normam excedunt, tum primum menstruatio et graviditas sunt adnumerandae statui morboso. Sed in sequentibus secundum propositum nostrum eas tantum mutationes organismi muliebris afferre volumus, quae organa sexualia non tangunt.

Simulac mulier concepit, diversae corporis partes ab ovariis proprio modo affectis et commutatis immediate mediateve in sympathiam vocantur. Hac quidem sympathia plerumque certis legibus obtemperante graviditatem persaepe cognovimus. Nexum autem, quo partes corporis humani in unum coëunt atque concurrunt, et oculis et animo perlustrantes, inextricabilem

orbem fere ubique deprehendimus. Non solum enim partes corporis ratione finis conspirant, sed et ita inter se connexae sunt, ut invicem in se agere et pati possint, actionem hic fieri passionem et vice versa. Hinc apparet, mutationes in parte quadam saepius contingere posse, quarum causa neutiquam in illius structura, sed in mutua actione alius partis quaerenda sit. Et haec conjunctio partium, qua mutua actio illis intercedit ac passio nil aliud est, nisi consensus seu sympathia. — Sed omnibus partibus corporis humani universalis est consensus, quo actiones inter se communicant et proprias affectiones ad quascunque alias transferunt, ut et remotissimae inter se conspirent et externae cum internis, et inferiores cum superioribus. Pedes aegrotant et condolet caput; calculus vesicam infestat, et glans penis pruritum ac dolorem sentit; renes nephritide torquentur et adest hemicrania, dolenti reni respondens, nec ullam particulam invenies, quae a quavis alia affici nequeat. Cujus universalis consensus caussae nexum communem, quo omnes partes corporis quasi uniuntur, triplici e fonte potissimum declarandae sunt.

Primo enim tota membranarum compages copiosissimis nervorum ramis exornatur, qui, omnis sensus motusque moderatores et directores, latum in corpus humanum exercent dominium, ut, totum fere corpus productionem nerveam esse, nobis persuasum sit. Cerebrum ejusque appendix, medulla spinalis, unicam originem illis praebent, in qua subtilissima eorum stamina miro modo confluunt, sibi intertexuntur, et sic unicum,

ut omnibus notum est, systema constituunt, quod a mutata parte totum mutari, et affectionem, quam hic vel ille nervus perpessus est, cum omnibus communicare valet. Quocunque igitur loco cerebrum aut medulla spinalis aut eorum nervi irritentur, mutationes diversissimi generis plerumque modo reflexorio in conspectum aut continuo aut paullo post veniunt. Exempla quotidie id probant. Hinc perspicies, quanta sit vis nervorum in mutanda totius corporis actione, et qua ratione consensus et universalis et partialis ab illorum imperio pendeat.

Secundam autem causam consensus illius atque sympathiae universalis, quas maxime in gravidis feminis observare possumus, e vasorum nexu hauriendam esse, quilibet haud difficulter intelligere poterit. Haec communis vasorum conjunctio, si etiam innumerabiles ramificationes non attendas, efficit, ut totum vasorum systema tanquam unicum canalem, omnis corporis partes adeuntem et humores vel apportantem vel revehentem considerare possis. Jam finge, partem hujus canalis ab affectione visceris cujusdam, in quod se insinuat, ratione cavitatis vel actionis mutari, totum canalem hanc mutationem experiri et ad reliquas partes corporis transferre posse, facile intelliges.

Tertia denique causa quaerenda est in tela cellulosa ejusque adnexibus et propagatione. Partes enim firmans, uniens, revinciens et mobilitatem iis largiens, totum perambulat corpus, omniaque ad loca propagines, semper inter sese connexas, dimittit. Nec firmiores membranae

aliam originem agnoscunt, sed veram telam cellulosam strictius vero congestam arctiusque intricatam, sistunt. En! habes triplicem nexum, quo omnes partes organismi animalis cum omnibus communicare et consentire possunt.

Ex iis, quae modo attulimus, apparet, confluxum illum atque conspirationem omnium corporis partium, harmoniae elegantissimae unique principio obtemperare. Neque vero minus elucet, in graviditate, ubi uterus, organon gravissimum, affectus sit, plus minusve omnia corporis organa mutationi cuidam subiici debere.

Considerantes igitur mutationes organismi muliebris graviditate effectas, reproductionem et assimilationem auctam invenimus: organa centralia majorem explicant vim, quam organa peripherica: systema nervosum quam maxime irritabile observatur. Organa abdominalia actione intensiore gaudent: nec non sanguificatio, i. e. venositas, est adaucta. Respiratio vero non ita est imminuta, ut plerique medici arbitrantur.

Sed transeamus ad singulas feminarum gravidarum mutationes.

Primum quidem illa phaenomena se obtrudunt, quae a plasticitate adaucta originem ducunt. Menses fluere desinunt sensationibus ingratis: languore, taedio laborum, appetentia ciborum corrupta, nausea, vomitu mulieres vexantur; glandulae salivales afficiuntur, et salivatio existit. Tum mammae intumescunt et papillas mammarum circumdat areola; tum lac secerni incipit. Habitum quoque externum si intueris mulieris gravidae, commutatum invenies. Abdomen globum quasi praebet,

umbilicus foras protruditur. Hac ex caussa gravidas corpore reclinato incedere vides. Non raro, praecipue tempore aestivo, in extremitatibus inferioribus tumores oedematosi existunt, qui interdum sursum pergentes, magnas molestias gravidis parant.

Cutis mulierum gravidarum functione plerumque gaudet magis passiva, quam activa, quare perspiratio cutanea valde imminuta, interdum impedita videtur: ita ut gravidae magnum horrorem patiantur. Varices porro in extremitatibus inferioribus et in pudendo et in abdomine, maculae hepaticae, palor faciei, luculenter demonstrant, in graviditate functionem systematis cutanei maxima ex parte characterem venosum praebere. Haec functio cutanea tanquam neglecta tamen necessaria quodammodo est, quoniam omnes vitae actiones in unum focum, in uterum gravidum, qui vita adaucta omnia alia organa superat et sibi subjicit, concurrunt. Et hic status systematis cutanei nos edocet, cur e. g. ulcera superficialia, praesertim inveterata, in feminis gravidis aut nullo pacto, aut difficillime sanentur: ex his quoque apparet, cur gravidae rarius morbis contagiosis expositae sint.

Commutationes alius generis graviditate procreatas in tractu intestinorum et systemate uropoëtico, utrumque enim et situ et functione utero vicinum est, reperimus. Sed utriusque vita non, uti cutis, imminuitur, imo vero adaugetur. Tractum intestinorum, simulac corpus animale in evolutione quadam versetur, alimenta saepissime repudiare atque ita digestionem abnormem

evadere, notum est. Similia videmus tempore menstruationis, dentitionis, etiam in quovis morbo. Eodem modo evolutione, quae in organismo muliebri initium capit a conceptione, functio tubi intestinalis plus minusve turbata est. Et initio cujuscunque inflammationis — uterus vero gravidus comparari potest cum organo inflammato — aut febris cujusvis, lingua saepe muco obtegitur, appetentia ciborum imprimis nutrientium, et carnis et panis non modo evanescit, sed etiam fastidium et interdum malaciae et picae gravidas excruciant. Systema chylopoëticum, quod in graviditate facillime irritatur, majorem explicat actionem, ideoque largiorem chyli copiam parat, quam in muliere non gravida. Sed ab irritabilitate systematis chylopoëtici adaucta derivanda sunt nausea, vomituritio, vomitus, quibus tam multae gravidae, praecipue prioribus quinque mensibus graviditatis, laborant. Attamen omittendum non est, molestias illas magnam afferre utilitatem gravidis. Intrante quidem graviditate menses plerumque evanescunt, quia sanguis antea fluxu menstruo editus, nunc ad alendum et evolvendum foetum consumitur. Prioribus igitur mensibus graviditatis copia sanguinis ad hunc finem consequendum larga esse non debet, et ne alimentis nimis copia sanguinis ad hunc finem consequendum larga esse non debet, et ne alimentis nimis copia sanguinis augeatur, natura gravidas hoc tempore nausea atque vomitu afficit. At non solum actio ventriculi et intestini tenuis, sed etiam intestini crassi multifariam graviditate mutatur. Huc referenda est obstipatio alvi

cum flatibus molestis et doloribus colicis; vel diarrhoea, si secretio tubi intestinalis est adaucta. Secretio quoque bilis graviditate commutatur, quoniam hepar actione systematis venae portarum mutata affectum est. Quo fieri solet, ut secretione bilis adaucta appetitus ciborum laesus, vomitus biliosus, et diarrhoea biliosa, nec raro icterus, et depressio animi, morositas, iracundia, melancholia existant.

Systema uropoëticum simili modo se habet. Graviditate quidem ineunte multae mulieres nisum quendam mingendi et inter mingendum saepius persentiunt dolores, ut in stranguria. Si medio fere tempore graviditatis organa uropoëtica irritamento uteri dynamico sensim sensimque sese affecerunt, non amplius redeunt dolores vesicae urinariae. Serius tamen uterus grandescens mechanice vesicam premit, quin abdomen fere totum occupat et ita vesicam urinariam in angustias compellit. Hoc igitur tempore graviditatis nisus ille mingendi redit, qui a gravidis neglectus, magna iis incommoda infert. —

Quaestiones novissimis temporibus a chemicis institutae nos edocuerunt, elementa urinarum graviditate commutari. Praecipue multum albuminis urinis gravidarum inesse dicitur. Interdum haec urina speciem praebet lacteam, quare Prout talem urinam nominat chylosam, et R. Willy oleoso-albuminosam. Urina hujusmodi salia urata suspensa, et reactionem acidam ostendit; turbida est, colore interdum rubro aut flavo. Haec urina oleoso-albuminosa originem capere dicitur

a conjunctione proteini cujusdam cum adipe. At non graviditatis modo tempore species ista urinarum observatur, sed etiam in feminis non gravidis, imo in viris. Multae mulieres in graviditate leucorrhoea laborant, quae non est negligenda. Urina quidem harum mulierum paullo post mictum turbida fit et sedimentum albidum deponit, quod adhibito microscopio corpuscula puris et epithelium offert, filtrata autem reactionem praebet albuminosam. Erraret igitur, qui ex hac urinae conditione affectionem vesicae urinariae aut renum suspicaretur. Nihilominus indoles illa urinarum in gravidis semper invenitur.

Novissimis temporibus chemici signo quodam certo urinas gravidarum cognoscere studuerunt — sed frustra, ut videtur. Materiam illam, quae semper in gravidarum urinis adesse dicitur, Kyestheinum aut Gravidinum nominaverunt. Hoefle contra experimentis demonstravit, Kyestheinum omnino non esse materiam urinis gravidarum propriam, sed compositionem quandam corporum organicorum et anorganicorum indifferentem. Sub finem graviditatis urinae indole sic dicta anaemica praeditae esse dicuntur, pallidae, partibus solidis et pondere specifico imminutis.

Sed veniamus ad respiratorias functiones mulierum gravidarum. In universum eas mutari, negari nequit. Respiratio enim materias organicas e corpore expellens et hac ratione assimilationi stricte opposita, vi plastica ad summum hoc tempore evecta, a norma recedat necesse est. Attamen, ut Hayn contendit, functio respi-

ratoria non est ita imminuta, ut medici vulgo affirmant. Initio graviditatis caussae praecipue dynamicae leviter impediunt respirationem, ita ut crasi sanguinis mutata morbi inprimis pulmonum aut fugentur aut inhibeantur. Postea respiratio, diaphragmate per uterum gravidum sursum compulso, mechanice impeditur. Rationem si habemus systematis cutanei, tempore graviditatis quod ad functionem diminuti, jam a priori conjicere possumus, functiones pulmonum fere ad normam procedere debere, cum et cutis et pulmones antagonismum alant, ita ut utriusque organi functio non sine vitae periculo laedi possit. Sed in graviditate minus oxygenii corpori adducitur, quare organismus mulieris gravidae irritamento, ut ita dicam, negativo fere semper afficitur. Acceleratio igitur pulsuum, quam saepe in gravidis percipimus, et irritabilitas illa, si aliae molestiae non adsunt, morbus non est, quamquam his caussis gravidae facillime in morbos incidere possunt.

Propter respirationem illam paullo imminutam, sanguis gravidae detractus mutatam praebet speciem et primo jam obtuitu ab illo non gravidarum et sanarum differt. Prioribus tamen graviditatis mensibus sanguis haud multum a norma recedit, sed posterioribus mensibus multifariam commutatur:

1) Pondus specificum sanguinis et seri ejus graviditate imminuitur. Becquerel et Rodier numerum medium ponderis sanguinis statuerunt 1051, seri autem 1025.

2) Placenta sanguinis saepe, sed non semper crusta

obtegitur. Hac quidem in re omittendum non est, gravidas esse propensas ad morbos inflammatorios, qui venaesectiones instituere medicum jubent.

3) Aqua sanguinis saepe turbida atque lactea invenitur propter compositionem quandam proteinicam in ea suspensam.

4) Copia aquae in sanguine gravidarum adaucta est, quod jam elucet e pondere specifico imminuto.

5) Fibrina, quo magis graviditas progreditur, eo magis adaugetur, sed incrementum fibrinae nunquam, ut Andrae contendit, tantum fit, quantum in morbis inflammatoriis.

6) Numerus corpusculorum sanguinis posterioribus praecipue mensibus valde imminuitur.

7) Albumen quoque, ut affirmant Becquerel et Rodier, imminutum est.

8) Item auctore Denis salia calcaria imminuta sunt.

Conjecturalia nonnulla de sanguinis mutationibus addere liceat. Graviditatis finis et stadium continetur evolutione embryonis. Substratum evolutionis illius sanguis maternus foetui porrigit. Quamdiu non multum sanguinis requiritur ad evolutionem i. e. prioribus graviditatis mensibus, sanguinis compositio fere eadem manet, quam apud non gravidas. Sin evolutio foetus majorem sanguinis copiam poscit, primum ea sanguinis pars minuitur, quae quocunque sanguinis detrimento, ut venaesectionibus iteratis et metrorrhagiis perditur, nimirum corpuscula sanguinis. Quod attinet ad incre-

mentum fibrinae, quod parvum, nondum satis declaratum est, sed hypothesin incrementi illius novimus, quae ad veritatem accedere videtur. Fibrina quidem adaucta consumi dicitur ad secretiones praecipue nitrogenium continentes producendas (ut acidum uricum et uream). Quum quidem respiratio utero extenso aliquantum impediatur, eliminatio materiarum illarum non bene procedit, ita ut fibrina in sanguine quasi accumuletur. Hujus rei testimonium dant sedimenta illa urinarum, acidum uricum continentia. Albuminis quoque decrementum quod sanguis graviditate patitur, simili modo, ut sanguinis corpusculorum diminutio a consumptione sanguinis in universum pendet. Rationem autem salium sanguine contentorum quod attinet, nemo fortasse reperitur, qui contendere possit, eam esse imminutam, cum magna pars salium sanguinis materni in utilitatem foetus convertatur necesse sit. Sed antequam observationibus transitus salium e sanguine materno in foetum comprobatus est, acquiescamus in eo, quod scimus, in organismo nempe materno, cui sine dubio major copia materiarum anorganicarum impertitur, quam in sua commoda convertere possit, (mentionem tantum facere liceat earum materiarum anorganicarum, quae per alvum eliminantur) proportionem parem esse debere et acceptorum et ablatorum.

Propter hanc indolem sanguis prae se fert spissitudinem. Venam si secamus mulieris gravidae, crustam plerumque videmus lacteam, quam multi habent inflammatoriam. Eadem ex indole sanguinis gravidarum pul-

sus arteriarum plerumque plenus atque durus, eadem quoque de caussa plethoram observamus gravidarum et localem et universalem, ita ut mulieres anxietate et palpitationibus cordis affligantnr et medici incauti ad venam secandam invitentur. Nec minus sanguis oxygenii inops et infarctus viscerum et stagnationes inducit; quo ex fonte varices jam in inferiore corporis parte existunt. Venae uteri amplificatae consensu, ut Carus contendit, in plerisque venis extremitatum et partium genitalium et in venis haemorrhoidalibus varices efficiunt. Sed omnia ista phaenomena in systemate sanguinis observata haudquaquam sunt adscribenda pressioni tantum uteri gravidi, sed a caussis dynamicis plerumque pendent: quamquam negari non potest, posterioribus graviditatis mensibus uterum quoque mechanico modo multa symptomata procreare.

Quum quidem hanc systematis sanguinis rationem in universum apud omnes gravidas inveniamus, non possumus, quin, si consideremus, quid istae tantum sanguinis mutationes valeant et quo spectent, sententiam statuamus, naturam, matris curam quodammodo negligentem, quasi foetus solius curam in sese recipere.

Foetum non directe sanguine matris sustentari, inter omnes fere constat, cum communicatio vasorum matris cum iis embryonis nondum sit reperta. Communicatio igitur sanguinis et matris et foetus indirecte tantum effici posse videtur. Schreger de illa communicatione hypothesin apposuit admodum probabilem, quam in dissertatione „de functione placentae“ scriptam

legimus. Etiam de venae umbilicalis utilitate hypothesin constituit, secundam quam serosa sanguinis pars, quam arteriae uterinae in partem placentae uterinam secernunt, a vasis lymphaticis resorbetur et per funiculum umbilicalem ad ductum thoracicum vehitur, inde in venam subclaviam sinistram, venam cavam superiorem et cor pervenit, et tum canalem arteriosum transgressus in aortam transit. Postquam pars illa serosa sanguine immixta et vitalitate vasorum, quae percurrit, in sanguinem mutata est, per aortam ad arterias umbilicales deducitur et ita redit ad placentam. Sanguis autem hoc modo reductus non per placentam ad organismum maternum redit, sed ad venas umbilicales, quarum radices arteriae umbilicales concomitantur, transit. Aperturae igitur laterales harum arteriarum fluidum seponunt, quod foetus sibi vindicare non potuit: quare haec theoria modo explicata nos edocet, systematis arteriosi excitatione, quae in graviditate plus minusve observatur, oxydationem sanguinis majorem effici.

Systema denique nervosum non integrum manere in graviditate, jamjam ex antecedentibus patet. Nihil enim, ut bene scimus, in organismo animali agitur, nisi nervis intercedentibus. Sed actiones systematis nervorum reproductivi, s. organici, non sunt voluntariae ideoque oculis nostris plus minusve subductae. Aliter res sese habet, si systema nervosum cerebrospinale spectemus. Atqui non multa organa corporis tam magnam exserunt vim in organa nervorum centralia, quam uterus, ergo non multa organa tam amplum habent

consensum cum fere omnibus aliis corporis organis, quam uterus. Consensum illum sympathiamque nervorum uterinorum ex phaenomenis praecipue nervosis graviditatem concomitantibus cognovimus. Mutationes, quas in actione nervorum sensibilium et motoriorum videmus, plerumque reflexoriae sunt et deducendae e mutationibus vitae vegetativae graviditate effectis. Huc referendae sunt illae conditiones, quae originem petunt ex inaequali sanguinis proportione, ut neuralgiae diversissimi generis, praesertim cephalaea, vertigo, odontalgia, mastodynia.

Propter mutationes, quas tractavimus, sanguinis mulierum gravidarum, totum systema ossium, praesertim ossa pelvis, rarefactiones aut osteoporositates (quas nominat Lobstein l'apponorissement des os) non raro praebere solent, cum in universum canaliculi et cellulae medullares ossium amplientur: sed etiam osteomiosis levissima in graviditate animadvertitur, quae ex eo proficiscitur, quod substantiae ossium minerales aliquantum decrescunt et ex corpore materno ad foetum transeunt: fracturae igitur ossium in gravidis difficulter sanantur. His ex caussis osteodiastasis, quam dicunt, ossium pelvis, (ut osteodiastasis ossium cranii in hydrocephalo, ossium faciei in polypis fibrosis) apud gravidas oritur, cum naturalis junctura ossium et ante partum amplificatione sensim procedente et post partum violentia adhibita laxetur.

Mutatio alius generis et quidem magni momenti in ossibus tempore graviditatis fere semper observatur,

osteophytum sic dictum puerperale innuo, quod praesertim in lamina vitrea cranii reperitur. Sed osteophytum puerperale nil aliud est, nisi species quaedam exostoseos, pseudoplasma quidem osseum, quod plerumque partes ossium late se extendentium occupat, eadem variis formis indutum obtegens vel ex iis prodiens. Osteophytum illud originem plerumque petit ex processu inflammatorio, qui in cortice ossium et periosteo locum habet, et quam maxime adamat ossa frontis et parietalia; totam tamen interiorem cranii partem raro obsidet; dispersis insulis in basi cranii observatur; plerumque impressiones, rarius juga ossium cranii interioris tenet. Lineae crassitiem excedere potest osteophytum; color ejus inter rubrum et albidum variat. Textura similis est exsudatorum in aliis ossibus observatorum. Ante tertium graviditatis mensem in conspectum venire non solet.

Rarefactio ossium, imprimis pelvis, itemque laxatio juncturae ossium pelvis ea de caussa sapienter a natura instituta esse videtur, quod uteri motus vehementes inter partum nonnunquam efficiunt, ut embryo ossa pelvis vehementer distrahens symphysin ossium pelvis prorsus patefaciat et sic in lucem prodire possit. Hoc quidem processu, synchondrotomiam quodammodo praesignificante, qui ea re fieri potest, quod, ut Chaussier, Béclard aliique autores accuratis observationibus probaverunt, ante et inter partum iunctura ossium pelvis intumescentia ligamentorum et cartilaginum quasi laxatur et extenditur, et quod cartilago ossium pubis

non, ut vulgo fit, impar sed in medio disjuncta est, hoc inquam processu idem evenit, quod secundum normam in nonnullis animalibus mammalibus, quorum pelvis nimis angusta exitum foetus impedit, observatur, ut in muribus porcellis, vespertilione, in talpa et aliis.

At non ossa tantum gravidarum quasi molliorem speciem prae se ferunt, verum etiam, ut videbimus, alia organa similiter afficiuntur. Natura quidem ad exclusionem foetus operationem quandam, quamvis rarissime, perficit, sectioni caesareae similem. Aperit enim natura et uteri et abdominis parietem adversum seu anteriorem et foetum per hanc aperturam excludit. Hic processus utero violenter rupto vel reactionibus in inflammationem et suppurationem transeuntibus fieri solet. Sed cum abdomen in primis foetus stadiis medium apertum sit, et postea demum in linea alba claudatur, atque uterus ipse conjunctione tubarum Fallopii oriatur, itaque jam ab initio in duas partes laterales disjunctus cernatur cum igitur et abdomen et uterus studium quoddam sese disjungendi ostendant, cumque praeterea notum sit, sub aliis quoque conditionibus sine inflammatione, suppuratione et gangraena, emollitione tantum et resorptione salubres continuitatis disjunctiones substantiae organicae effectas esse — gravis quaestio obtruditur, num uterus et abdomen sine inflammatione et ejus exodis, per reactiones tantum, conjunctas cum aucta emollitione substantiae organicae et resorptione, aperiri possint? Quantum quidem nos scimus, desiderantur observationes ad hanc quaestionem sufficienter

dirimendam, quamquam ex antiquissimis temporibus notum sit, vim medicatricem naturae operationem caesaream perficere posse.

Affectiones glandularum salivalium et tussim gravidarum etiam ex consensu universali genitalium cum collo deducere possumus. Consensu quidem illo modo memorato glandula quoque thyreoidea et larynx afficiuntur, quare mulieres gravidae raucedine atque tussi saepe laborant. Glandula autem thyroidea gravidis amplificari solet, ita ut tracheam et laryngem premat. Hac autem pressione pharynx, oesophagus, nec minus vasa et nervi in utroque colli latere nonnunquam afficiuntur, ita ut gravidae non raro asthmate thyreoideo crucientur, et occasione data struma tandem evolvatur. Sed ut consensum, qui est genitalia inter et collum, accuratius consideremus, haec affere liceat:

1) Mulieribus gravidis secretio salivae adaucta esse solet.

2) Meretrices vocem habent virorum voci similem.

3) Post deflorationem collum crassius fieri dicitur.

4) Post coitum immodicum fauces arefiunt.

5) Menstruationis tempore glandulae submaxillares multis feminis intumescunt.

6) Epistaxis, si genitalia aqua frigida lavantur, sisti potest.

7) In dentitione puellarum tenerarum saepius secretio muci ex urethra vel vagina cernitur.

8) Mulieres bona valetudine gaudentes saepe ulcusculis tunicae mucosae oris inter menstruationem labo-

rant; post menstruationem statim ulcuscula consanescunt, mensibus tamen redeuntibus denuo existunt. —

Atque non in mulieribus tantum consensus ille inter genitalia et collum, sed etiam in viris, observatur, quam rem haecce argumenta testantur:

1) Vox in pubertate gravior et sonorior, eunuchis larior fit.

2) Cantatores, ut vocis clangorem et laevitatem servent, Venere abuti non debent.

3) Jam Hippocrati cognitum erat, orchitidem et parotitidem sese excipere.

4) Oscula libidinosa ejaculationem seminis accelerant.

Hae mutationes etiam via anatomico-physiologica demonstrari possunt. Consensus quidem, qui est inter caput et pelvim, praecipue genitalia, in foetu, cujus extremitates non amplius se extendunt, et cujus collum caputque magis in unum confluunt, maxime cernitur.

a) Os occipitis — cum osse coccygeo.

b) Vertebrae cervicis — cum osse sacro.

c) Os parietale et scapula — cum osse ilium.

d) Ossa maxillaria superiora et os frontis — cum osse ischii.

e) Ossa maxillaria inferiora et clavicula — cum osse pubis.

f) Sternum — cum symphysi ossium pubis.

g) Nares atque os — cum apertura genitalium.

h) Lingua — cum pene (atque clitoride).

i) Fonticulus major s. quadrangularis — cum apertura pelvis inferiore.

k) Crines — cum crinibus.

l) Vox et phantasia — cum evolutione genitalium.

m) Galea aponeurotica — cum scroto externo.

n) Capitis supremum — anticum — cum pelvis infimo — postico. —

Similia tota anatomia comparativa docet. Sed notatu dignissimus est consensus anatomico-physiologicus exquisitus inter genitalia et organa gustatoria in amphibiis: lingua enim bifida cum genitalibus bifidis. Atque notum est, haec animalia libidine per plures menses protracta, obtorpescere. Quare Oken ea animalia nominat „Schmecksinnthiere," ac sensum gustatorium in lingua originem habere et in genitalia exire dicit: praeterea linguam, ait, quasi custodem ventriculi esse, organa uropoëtica processum ventriculi conversum, exitum esse: genitalia processum linguae conversum in animalibus. Ut novimus, homines subtilis palati (a Francogallis „gourmands" nominati) valde in Venerem proclives sunt, atque strangulatis eo tempore, quo lingua extruditur ex ore, penis erigitur.

VITA.

Natus sum ego Antonius. Kalixtus Rymarkiewicz Vschovae, oppido magni ducatus Posnaniensis, anno MDCCCXXIV, die XV mensis Octobris, patre optimo, Casimiro, quem ex decem jamjam annis mihi ereptum intime lugeo, matre dilectissima Eva, e gente Braun, quam adhuc vivam pio gratoque animo veneror. Confessioni catholicae addictus sum. Primis imbutus litterarum elementis gymnasium St. Mariae Magdalenae Posnaniae per annos fere decem frequentavi. Auctumno anni MDCCCXLIV Universitatem litterarum Viadrinam petii et ab Ill. Pohl tum fasces academicos tenente, in numerum civium academicorum receptus sum, et quidem ordini philosophorum nomen dedi; anno sequente demum transii ad facultatem Medicorum, in quorum album ab Ill. Purkinje t. t. decano inscriptus sum. Per annum unum et dimidium ibi litteris medicis et philosophicis studui et mense Majo anni h. s. XLVI Berolinum me contuli, ubi ab Ill. Trendelenburg, Rectore magnifico, inter cives academicos, et ab

Ill. Hecker, decano t. t., inter studiosos medicinae receptus sum. Per duos annos ibi litteris operam dedi, et tum Regiomontum profectus sum, ubi etiam civis academicus ab Ill. Sanio t. t. Prorectore magnifico et Ill. Cruse in album medicorum inscriptus, per duo semestria praecipue clinicis interfui. Tunc denuo Berolinum redux, ut mihi venia daretur superandi tentamen medicum nec minus examen rigorosum sustinendi, inscriptus sum iterum inter cives almae litterarum universitatis Fridericae Guilelmae ab Ill. Busch, Rectore magnifico, apud Ill. Casper t. t. gratiosi medicorum ordinis Decanum maxime spectabilem rite nomen professus sum.

Praeceptores mihi fuerunt in his tribus Universitatibus viri Illustrissimi et Celeberrimi, Vratislaviae:

Ill. Braniss de psychologia et logice; Ill. Pohl de physice experimentali et de electromagnetismo; Ill. Fischer de chemia experimentali; Celeb. Frankenheim de galvanismo; Ill. Goeppert de toxicologia; Celeb. Duflos de chemiae elementis et de venenorum chemicorum cognitione et exploratione; Ill. Thilo de morbis psychicis; Ill. Barkow de osteologia et syndesmologia; de anatome humani corporis universa et exercitationibus anatomico-practicis; Ill. Purkinje de physiologia.

Berolini hisce interfui lectionibus:

Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Kunth de bo-

tanice; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Rose de chemia experimentali; Ill. Schultz de historia naturali universali et de homoeopathia et allopathia; Ill. Müller de anatome humani corporis universa, et exercitationibus anatomico-practicis; de anatomia comparata, de physiologia; Ill. Schlemm de anatomia organorum sensuum; Ill. Mitscherlich de materia medica; Exp. Simon de pathologia et therapia generali; Exp. Dann de pathologia et therapia speciali; Cel. Ideler de diaetetice; Beat. Eck de semiotice; Exp. Lauer de morbis syphiliticis; Exp. Schoeller de scientia obstetricia cum exercitationibus in phantomate: Ill. Juengken de chirurgia et in clinico-chirurgico, nec non Ill. Wolff in clinico-medico mihi duces benevolentissimi ac praestantissimi fuerunt.

Regiomonti duces gravissimi benevolentissimi mihi fuerunt:

Ill. Burow in policlinico-chirurgico et de medicina forensi; Cel. Moeller in policlinico-medico et in anatomia pathologica; Ill. Rathke de historia evolutionis animalium; Ill. Hirsch in clinico-medico et de morbis infantum; Ill. Seerig in clinico-chirurgico; Ill. Hayn in exercitationibus obstetriciis in phantomate, nec non clinico- et policlinico-obstetricio.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Doctissimis, Celeberrimis, gratias quam maximas ex intimo atque sincerrimo animo ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Nullum graviditatis incipientis signum certum.
2. Quaecunque gravida mortua sectioni caesareae submittenda.
3. Mulier sana ubera semper praebere debet infanti.
4. Homoeopathia medicinae non modo nil profuit, sed nocuit.
5. Cholera asiatica non est morbus contagiosus.
6. Causa praedisponens plus valet ad morbum generandum, quam causa occasionalis.
7. Neque dilatatione, neque cauterio, sed potius incisione strictura organica urethrae tollitur. —
8. Optimum atque certissimum antisyphiliticum est Mercurius.
9. Doctrina de nervorum actione reflexa comparari potest doctrinae de sanguinis circuitu in systemate vasorum.